

primum de Linguae moderamine, dein de fuga Superbiae, Invidiae, Irae &c. Verum, ut monui, multa putredine consumpta, alia extrita sunt, et Librarius spatio arctatus sub finem literas minuit, lineas densavit.

CCCCXXVII.

- R. 1986 Codex membranaceus lat. Sec. X-IV. Folior. 195. f. per duas columnas luculente exaratus, coloribus distinctus et olim *Domus orti beate marie prope pragam* Ordinis *Carthusiensium* continet D. *Bernhardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum*. In edit. *Maur. Paris. T. IV.* habentur horum *Sermonum LXXXVI.* in praesenti Codice numerantur *LXXXIII.* Ita enim Rubrica calcis: *Notandum quod in hoc libro continentur LXXXIII. sermones quos beatus bernhardus compilavit super cantica canticorum. et in eisdem sermonibus tantummodo duo capitula cum dimidio (ne id quidem, sed stitit in C. 3. v. 1.) exponuntur. Aut forte morte preuentus plura non edidit. aut si de hoc plura scripsit. hec in hoc volumine non habentur.* Verum adhibito examine deprehenduntur in Codice nonnisi *Sermones LXXXII.* Ultimus enim non est, nisi repetitus *Quinquagesimus tertius,* in quo post verba sub initium: *observante etiam hic ordinem.*— multa defunt, quae in ultimo subplentur. In Textu paucae ab Editis occurrunt differentiae, nec, quae illum perfici-

ant. In principio *Serm. XX. Ut a Magistri verbis &c.* Codex recte interponit *Gentium.*

CCCCXXVIII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3297 XV. Folior. 133. f. per duas columnas nitidissime exaratus, picturatis initiorum literis, prioribus tamen 14. Textus foliis ab alia minus eleganti manu, ut videtur, subpletus continet D. *Bernardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum* numero *LXXXIII.* Igitur postremi IV. editionis *Maur. T. IV. col. 1557.* absunt. Textum praecedat *Registrum sive Tabula Cantici Canticorum cum Prologo,* quo fufe ejus usus docetur. Lectio proba est.

CCCCXXIX.

Codex partim membranaceus, R. 2010 partim chartaceus Sec. XV. Folior. 225. f. per duas columnas non eadem manu, nitide tamen exaratus, minio distinctus, et prius *fratrum Carthusiensium domus Porte beate Virginis Marie,* videlicet in *Axpach,* continet I. *Sermones LXXXIII. D. Bernardi Claraev. Abb. in Cantica Cantic.* prorsus ita comparatos, inscriptos et Elencho instructos, ut e Codice *Carthusiensium prope Pragam* paullo ante retuli, unde illius *Απολογιστον* puto. Scriptor se versus pangere ratus haec ad Elenchum rubro subjecit:

*Dies Pantaleonis finem dat mei laboris
Natalis domini M C quatuor tria X vno
Mathias de Chotzna Rector ecclesie in Ruchowano
Habet idem graphare septimo sui exilij anno
In Axpach domo quam carthusiensis inhabitat homo
Assumptae virginis in honorem hic degit mundi fugitans honorem.*

Non satis adparet, an a *Turcarum*, an ab *Huffitarum* facie profugus, an hospitatus tantum, an Monachum indutus fuerit.

II. fol. 133. succedit Eiusdem *Apologium*, ut in calce vocatur, ad *Wilhelmum S. Theodorici Abbatem*, quod omiffa *Praefatiuncula* incipit: *Vsque modo si qua me scriptitare iussistis &c.* et legitur in Edit. *Maur. Paris. 1690. T. II. col. 525.*

III. fol. 145. finem facit *Συλλογη Epistolarum* Eiusdem et Aliorum numero CXIV. In his Responsum *Hildegardis* ad *Bernardi* Epistolam, Epistola etiam *Abbatis de Eberbach* cum hujus Virginis Responso, quae, cum in Codice praeferat: *Frater B. Abbas*, facile *Bernardo* tribui posset ab iis, qui *Hildegardis Epistolas Colon. 1566. 4.* editas non consuluerunt, ubi p. 78. diferte *Eberbacensi E.* inscribitur hoc initio: *Magnificamus et glorificamus Christum pro uobis &c.* Praeterea fol. nobis 196. immixtus est Epistolis Sermo sic incipiens: *Mediator Dei et hominum christus ihesus qua conuenientia et necessitate in reconciliatione humani generis VII. sancti spiritus donis uti voluerit qualiter possumus consideremus &c.* quem apud *Bernardum* non reperio, quamvis non

uno loco hoc Thema obiter attingat.

Posticae Codicis Thecae adfixa est Membrana, qua anno 1391. an *sancti Cholmans Abennde Agnes Henrici de Durrenpach Meysaviensum* Scribae Vidua Bona sibi a Marito relicta testatur se vendidisse *Johanni* tunc Priori et Conventui FF. *Carthusiensium in Axpach.*

CCCCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3076 XII. Folior. 143. f. per duas columnas scriptus a duobus elegantia certantibus, minio distinctus, et olim *Κτήμα* Abbatiae *Montis Pomerii, Pomerii, Baumgartenbergae* in super. *Austria* Ord. *Cist.* est *Pars I. Sermonum Bernardi in Cantica Cantorum*, qui in titulo jam *Sandus* compellatur, unde Codicem post annum 1174. scriptum fuisse oportet. Sermones hic comprehensi sunt L. qui usque ad XXIV. pari passu cum edit. *Maur. Paris. 1690. T. IV. col. 1346.* ambulant. Sermo autem XXIV. bis, ut ait *Mabillonius* in *not.* a *Bernardo* pronunciatus bis etiam in Codice nostro positus est, diverso solum exordio et epilogo, quorum utrumque Editor in *not.* subiecit. Ab hinc igitur divergit *Sermonum*

Rrr 2 nume-